Quaestion theologicae.

Numéro d'inventaire : 1980.00014.41
Auteur(s) : Gabriel Ghesquiere
Type de document : affiche
Éditeur : non renseigné (Paris)
Période de création : 3e quart 18e siècle
Date de création : 1753
Description : Une feuille de papier mince, vergé et filigrané. Les bords sont froissés et déchirés. Des taches brunâtres en plusieurs endroits. des perforations le long de la pliure médiane et en bas de l'affiche. Estampe de petit format dans la partie supérieure.
Mesures : hauteur : 525 mm ; largeur : 385 mm
Notes : Affiche annonçant la question de théologie que doit discuter, "pro majore ordinaria" (c'est-à-dire qu'il s'agit de la deuxième des trois thèses à présenter pour la licence, la "majeure ordinaire", ainsi nommée parce qu'elle était soutenue pendant le temps de l'enseignement ordinaire), F.Gabriel Ghesquiere, de Lille, le 2 août 1753, "in scholis doctoris angelici". La question est: "Qui a créé le ciel et la terre ?". Les articles retenus exposent les étapes de la constitution de l'église catholique, en partant de la création et aboutissant à l'affirmation de son autorité en matière d'Ecritures saintes. L'estampe (identique à celle du document M.N.E. 3.3.04.03 / 1980 . 00014 (40)) représente la Vierge au ciel tenant l'enfant Jésus.
Mots-clés : Affiches de thèses et d'exercices publics
Filière : Université
Niveau : Supérieur
Autres descriptions : Langue : Français
Nombre de pages : 1
Mention d'illustration
ill.

VIRGINI DEI-PARÆ.

QUÆSTIO THEOLOGICA.

Quis creavit Cœlum & Terram?

DEUS, Adamum primum hominem creavit innocentem, immortalem; procul ergò Prædamitarum ſiſtema. Locus quem incolendum primò habuit Paradiſus Terreſtris: an in Paleſtinâ? an in Syriâ? an in Chaldæâ? an tandem in Armeniâ inter Euphratem, Tygrim, Phiſonem, & Araxim fuerit conſtitutus, quæſtio valdè obſcura. Quoad loci amœnitatem non ampliùs ſuperſtes. Veſcendo vetito fructu præceptum juſtum tranſgreditur, à feliciſſimo ſtatu cum Evâ deturbatus, ambo pœnitentes, ambo ſalvati. Caïn fratricida. Ex filiis Seth, & filiabus Caïn orti veri gigantes tùm ſtaturâ, tùm vitiis longè aliis ſuperioris. Omni carne viam ſuam corrumpente ſub aquis diluvii totus mergitur orbis: ſolus Noë cum Tribus ſuis filiis, eorumque tribus uxoribus ingreditur Arcam. Undis verticem montium ad altitudinem quindecim cubitorum ſuperantibus, per totum orbem omnis caro delетur: falsùm ergò, imò & impoſſibile diluvium illud particulare quod ſolam Paleſtinam operuiſſet. Perpetuò iiſdem obruitur Voſſius difficultatibus quas nobis objicit. Anno elapſo in ſignum fœderis apparet Iris. Vineam primus excolit Noë, innoxiè ebrius. Turris ædificatio peccatum; Linguarum confuſio pœna. E Thare naſcitur Abram, à Deo vocatur, ab eo, non ab Ægyptiis circumciſionem primus accipit Abraham. Saram bis abſque mendacio ſororem vocat; ad mactandum filium Iſaac fide accingitur; Loth in oblatione filiarum imprudens, in ebrietate & inceſtu reus, æquivocatione paternam benedictionem ſubripiens Jacob vix à mendacio excuſari poteſt, ſi litterali ſenſui inhæreamus. Innoxia apud Socerum ditatio, injuſta Sichimitarum cædes. In Ægyptum cum familiâ deſcendit Jacob; mortuo Joſepho ſub duriſſimo ſervitutis jugo, multiplicantur Iſraëlitæ. Mentiuntur Ægyptiacæ obſtetrices aliundè laude dignæ & ideò remuneratæ.

AD liberationem Iſraël naſcitur Moſes, Magorum prodigia ſuperioribus vincit miraculis; mare rubrum miraculosè trajicit; non æſtus æquinoxialis, vel venti aquas remanentis obſervatione. Inter fulgura Lex populo datur ſuperſtitiosè vitulus æneus, ſalubriter ſerpens æneus erigitur. Aſſlante Deo Balaam Propheta. Diffidentiæ reus terram promiſſam à longè ſalutat Moyſes, & moritur, huic ſuccedit Joſue, & Populum in Chanaan introducit. Extincto Joſue Populum regunt Judices. Sub Samuele Saul in Regem ungitur. Rejecto Saule ad domum David pertranſit Sceptrum. A filio ejus templum Domino ædificatur. Contrà Dei præceptum mulieres alienigenas in domum ſuam introducit Salomon, deteſtandis earum numinibus altaria erigit, graviter peccat, utinam pœnitens? ſub Roboamo ejus filio ſcinditur regnum. Veros adoratores coràm Baal genua non flectentes, in Iſraël ſibi Deus conſervat. Sub Salmanazar captivi ducuntur Iſraëlitæ. A Nabuchodonoſore in Babilonem captivus etiam ducitur Juda. Suis precibus impetrat Daniel non ſolùm ut ei reveletur captivitatis finis, ſed & Meſſiæ adventus. Sub Cyro ſolvitur captivitas: templum ſecundùm ædificatur non ædificiorum pompâ, ſed Meſſiæ in illo præſentiâ aliquandò futura, priore longè nobilius. Auguſto tandem Imperante, toto orbe in pace compoſito naſcitur Chriſtus verus Deus, verus homo, tot cœremoniis adumbratus, tot Vaticiniis decantatus, tàm longo temporis intervallo expectatus.

VITA omnibus benefaciendo ſanctiſſimè peractâ, pro omnium ſalute moriente redemptore noſtro, moritur Lex Moſaica, perfecta quidem in ſuo genere, perfectioris attamen præſaga. Vigente nunc Lege Evangelicâ tàmquàm umbra ſole præſente evanuit. Divinitatem Religionis chriſtianæ probant Vaticinia in Chriſto adimpleta, miracula tùm ab ipſo, tùm ab Apoſtolis perpetrata; maximè verò reſurrectio Chriſti, illius in Cœlos Aſcenſio; effuſio Spiritûs-Sancti in Apoſtolos. Super hæc omnia facta iſti non potuerunt falli, nec fallere. Omnes habent conditiones requiſitas ad pervicaciſſima ingenia convincenda. Ex illorum ſermone ſimplici, & omni arte deſtituto illorum patet bona fides: ex illorum Scriptorum concentu ſinceritas, ex invictâ in cruciatibus patientiâ, ex teſtimonio effuſo toto ſanguine obſignato, gravioribus momentis innixa animi convictio. Si vis alia argumenta, attende ad Chriſti Prophetias quarum eventus perſpicere licet. Per totum orbem ſpargitur natio ab illo reprobata; iræ cœleſtis [illegible]bique viſibile argumentum. Ad Chriſtum confluunt omnes gentes. Rejectâ Synagogâ, devictis falſis numinibus propagatur Religio tormentis & morte potentior, filiorumque ſuorum ſanguine fœcundata. His omnibus [illegible] divina probatur chriſtiana Religio, ſola nunc ergò evidenter credibilis. Procul ergò Atheiſmus rationis delirium, Polytheiſmus ſuperſtitionis & corruptionis fœtus, Mahumetiſmus ignorantiæ, & armorum proles, [illegible]onis, & conſcientiæ variis criminibus exagitatæ refugium. Judaiſmus obſtinatæ nunc cœcitatis portentum.

OMNES qui hanc profitentur religionem Chriſtiani meritò nuncupantur & Eccleſiam conſtituunt. Una eſt, licet ſtatu multiplex, ex animâ conſtans & corpore. Hinc rectè definiri poteſt, cœtus hominum unius ejuſdemque fidei profeſſione, eorumdemque Sacramentorum participatione; ſub regimine legitimorum Paſtorum, ac præcipuè Romani Pontificis coadunatus. Suis gaudet characteribus quibus unicuique attendenti conſpicua eſt. Neque legitima verbi prædicatio, neque legitimus Sacramentorum uſus, neque felicitas temporalis illius defenſorum, aut infauſtus Exitus impugnatorum poſſunt eſſe notæ ad illam indigitandam idoneæ. Quatuor ſunt à Symbolo Conſtantinopolitano recenſitæ. Una eſt, excludit ergò alias ſocietates quarum fides eſt diverſa, procul diſtinctio illa articulorum fundamentalium & non fundamentalium à Juriæo excogitata, & toti retrò antiquitati incognita. Nulla unquàm præſcindendæ unitatis vera ratio, nec extrà illam ſocietatem quæ eſt unica, & vera Chriſti Sponſa ulla ſperanda ſalus: nec contrarium probant Victoris, Cypriani, Acacii, Schiſmatis Occidentalis exempla à Juriæo in gratiam ſui erroris adducta. Sancta eſt, ità ut nec Sancti ſine ipſâ, nec ipſa ſine Sanctis unquàm eſſe poſſit. Catholica eſt, per totum orbem moraliter diffuſa, ſingulari quâcumque ſocietate numeroſior: hinc viſibilis ſemper fuit externâ profeſſione, Sacramentorum participatione, & adminiſtratione, & Paſtorum regimine, Apoſtolica ratione originis, doctrinæ, miſſionis, legitimæque ſucceſſionis ad noſtra uſque tempora non interruptæ.

SPLENDIDIS hiſcè characteribus ſola inſignitur Eccleſia Catholico-Romana, hinc quis intùs maneat, quiſve foras ſit evidenter patet, Cathecumenos Chriſto Sponſo, Sponſa Sancta concipit. Per Baptiſmum filios parturit, non tantùm prædeſtinatos & juſtos complectitur, verùm peccatores etiàm publicos ſtatim à corpore non reſecandos in gremio ſuo bonis permixtos lugens tolerat: non tamen ut perperàm aſſerunt Donatiſtæ ejuſdem, indè caſtitas polluitur, ſanctitas maculatur. Notorios è ſinû ſuo rejicit Schiſmaticos, Apoſtatas, Excommunicatos qui aut ſeipſos præſcindentes ſpontè receſſerunt, aut quos ipſa propter contumaciam tanquàm rebelles expellit. Item notorios, hæreticos, non verò occultos qui vincula unitatis nondùm abrupêre. Sincerâ mente quærenti ubi, vel quænam ſit Eccleſia Chriſti, ità ſe conſpiciendam ultrò præbet, ut neminem ſalutis ſuæ cupidum latere poſſit. Cauſa ipſius efficiens Chriſtus, ſub quo duce in terris militat, materialis fideles triplici vinculo colligati, formalis ipſorum inter ſe cum capite conjunctio, finalis proxima, membrorum ſanctificatio: remota ſalus æterna. His ſi characteribus gaudet, variis fulget & proprietatibus viſibilitate, quâ quolibet tempore omnium oculis eſt conſpicua: indefectibilitate tùm quoad durationem, tùm quoad conſtantem veræ fidei profeſſionem contrarium nec probat factum Ariminenſe. Infallibilitate gaudet, tùm activâ, tùm paſſivâ, ſive ſit congregata, ſive ſit diſperſa. Ergò judex eſt controverſiarum circà fidem & mores, hæc prærogativa Scripturæ ſoli, Spiritui privato, vel alteri cuivis competere nequit.

ECCLESIÆ caput viſibile à Chriſto conſtitutus Sanctus Petrus, tandem igitur prærogativam jure divino obtinet Petri ſucceſſor Romanus Pontifex. Hinc honore & juriſdictione inter Epiſcopos primus, hinc Catholicæ Communionis centrum, non magis ipſo errante quàm moriente deficiens. Partes ipſius ſunt Canonum obſervationi accuratè invigilare, ab iis diſpenſare in illis caſibus in quibus diſpenſaret Concilium generale, circà fidem ad omnes Eccleſias decreta dirigere, Concilia œcumenica jure ordinario convocare, ipſiſque per ſe, vel per legatos ſuos præ eſſe ea ſuo modo confirmare, ex omnibus Chriſtiani orbis partibus in cauſis majoribus appellationes ſuſcipere. Licet tanta ſit ipſius authoritas, cave tamen nè eum infallibilem dixeris: magno quemvis in prætio, magno quamvis in honore ſemper habitum fuerit ipſius judicium, non irreformabile, niſi acceſſiſſet Eccleſiæ conſenſus. Regimen Eccleſiæ Monarchicum eſt Ariſtocratia temperatum. Hinc neceſſaria eſt ſubjectio Romani Pontificis Concilio œcumenico juxtà decreta Conſtantienſia. Epiſcopi à ſolo Chriſto propriâ juriſdictione donati. Corpus Epiſcoporum meritò Eccleſiam definientem appellaveris: competit ei ſpiritualis poteſtatis non tantùm exercitium, ſed & proprietas, nec civili dominans nec ſubordinata, ſed ab eâ diſtincta. Nulla ergò Eccleſiæ poteſtas circà temporalia Regum, nulla poteſtas in Regibus circà ſpiritualia: Principes igitur ſive infideles, ſive hæretici ſive Catholici nullâ Eccleſiaſticâ authoritate directâ, vel indirectâ deponi poſſunt, nec ullo in caſu ſubditi eorum à præſtito fidelitatis Sacramento diſpenſari poſſunt. Incaſſùm laborat Bellarminus in congerendis tùm ex Scripturâ, tùm ex Hiſtoriâ Eccleſiaſticâ exemplis, malè prorſùs concludunt ab illo objectæ Childerici, Henrici IV. Frederici II. Ludovici IV. Vambæ, Ludovici Pii exauctorationes.

CONCILIUM Conventus eſt Eccleſiæ præpoſitorum ad pertractanda religionis negotia. Triplicis ſunt generis Concilia, generalia ad quæ vocantur totius orbis Epiſcopi, Nationalia ex præſulibus nationis alicujus congregata; Provincialia ex Epiſcopis totius Provinciæ coaleſcentia. Eccleſiam perfectè repræſentant Concilia œcumenica, cave nè idem dixeris de particularibus niſi univerſaliter probatis. Ad œcumenicitatem requiruntur convocatio univerſalis, libertas & numerus ſufficiens congregatorum: certò non manifeſtatur fidelibus niſi per ſubſequentem Eccleſiæ receptionem. Ex ſe ſunt utiliſſima, quandòque ad procurandam unitatem neceſſaria. In iis ſoli jure divino Epiſcopi, utpotè Eccleſiæ à Chriſto conſtituti moderatores, lumina, & lucernæ ſedent ut judices: ex privilegio verò & conſuetudine Eccleſiæ Sanctæ, Romanæ, Catholicæ Cardinales, Abbates & præpoſiti religioſorum ordinum generales: conſultores adſunt vocati Theologi, & Doctores: adſunt & Principes ſeculares Canonum vindices. Apoſtoli tria Jeroſolymis celebrarunt: primum ad electionem Mathiæ in locum Judæ proditoris, ſecundum in quo creſcente in dies credentium numero eliguntur Diaconi, menſis non communibus duntaxat, ſed ſacris miniſtraturi: tertium pro compeſcendâ de legalibus controverſiâ. Symbolum condunt Apoſtoli, non conſtitutiones, non Canones, non liturgias veteres. Sanctus Petrus Antiochenam primùm regit Eccleſiam, Romam proficiſcitur, Jeroſolymitano præeſt Concilio, & tandem cum Divo Paulo Martyrio coronatur.

CHRISTUS ſuam in terris fundendo Eccleſiam, ſuper immota fundamenta eam ſtabilivit. Perpetuò hæreſeon ventis procelloſè agitatam nuſquàm derelinquit, ſed longam victoriarum ſeriem ei præparat. Multos illius triumphos colligere eſt in Conciliis generalibus. Prima ſe offert Nicæna Synodus à Conſtantino Magno, annuente Sancto Sylveſtro coacta: ipſius nomine præſidere Oſius, Vitus & Vincentius: Arium ipſiuſque impietatem proſcripſit. Conſtantinopolitana prima Spiritûs-Sancti divinitatem contrà Macedonium defendit. Concilio tertio generali cauſam præbuit Neſtorius duas in Chriſto perſonas admittens, & in ipſo non minùs canonicè, quàm legitimè profligatus. Eutyches in contrarium errorem impingens in Chalcedonenſi damnatur. Concilium œcumenicum quintum trium capitulorum defenſores damnat. In ſextâ Synodo œcumenicâ hæreſis Monothelitarum cum ipſius Fautore Honorio Anathemate percutitur. In ſeptimâ vindicatur cultus imaginum, nihilque ejus deciſionibus contrarium cenſuit Concilium Francofordienſe. Photium intruſum octava deturbat. Græcis ab Eccleſiâ latinâ divulſis Concilia generalia in Eccleſiâ latinâ celebrantur. Quatuor Lateranenſia recenſe, Lugdunenſia duo. In Conſtantienſi Wicleſus confoditur. Pax Eccleſiæ reſtituitur. Baſileenſe œcumenicum ad ſeſſionem uſque vigeſimam-quintam. Œcumenicum & Florentinum in quo ſæpiùs Græcorum tentata unio tandem peragitur. In Tridentino quod & libertate ſuffragiorum, & Epiſcoporum doctrinâ, & definitionum ſapientiâ nulli cedit alteri, Lutheri & Calvini errores profligantur. Utinam tanto lumini eorum ſectatores oculos diutiùs obnubilatos tandem aperirent.

CONCILIORUM regulæ Scriptura & Traditio. Sine iſtius ope hanc penitùs rimari, & interpretari nè præſumas. Utriuſque par & æqualis authoritas. Verbum Dei ſcriptum in veteris & novi Teſtamenti libris continetur. Scripti ſunt omnes Deo in integrum inſpirante voces, & ſyllabas dictante ſingulas. Scripturæ libri non ſunt ſuppoſiti ſed genuini, integri ſunt non corrupti; in ipſis ergò nonniſi res omninò veræ continentur. Plerique veteris Teſtamenti libri ab incertis authoribus. Pentateuchi verus author Moſes ſcriptorum antiquiſſimus. Multæ ſunt verſiones Scripturæ Sacræ. Inter Orientales recenſetur Paraphraſis Chaldaica quæ etiam targum nuncupatur, utilis ad revincendos Judæos. Inter Græcas verſiones celeberrima eſt verſio ſeptuaginta interpretum, in Eccleſiâ magnæ authoritatis, ab omnibus olim agnita ut authentica, & eſſentialiter non corrupta. Sunt aliæ verſiones ut Aquilæ, Symmachi, Theodotionis quæ tantam fidem non merentur. Inter verſiones latinas celebris fuit vetus Itala jam à tempore Sancti Auguſtini uſu Eccleſiæ conſecrata. Novam adornavit Sanctus Hyeronymus textui primigenio magis conformem. Ex his duabus majori tamen parte ex Hieronimianâ conflatur vulgata noſtra omnibus aliis verſionibus præponenda, & à Concilio Tridentino authentica declarata, non quidem eo ſenſu quòd Hæbreis, Græciſque fontibus anteponi debeat, ſed quòd à primitivo ſenſu in præcipuis ſaltem capitibus non diſcrepet, & ut certa fidei noſtræ regula, tutò aſſumi poſſit ac debeat. Utilis ſanè ſcripturæ lectio, non omnibus indiſcriminatim permittenda. Quandònam autem vernaculas verſiones fidelibus concedere expediat, Eccleſiæ eſt judicare, cui ſcripturarum ſuarum theſauros commiſit, qui *creavit Cœlum & Terram.*

Has Theſes, Deo duce, auſpice Dei-parâ, & Præſide F. FRANCISCO DURIEZ, *ſacræ Facultatis Pariſienſis Doctore, Abbate Beatæ Mariæ de Muncellis, nec-non Collegii Præmonſtratentis Rectore & Priore, tueri conabitur* F. GABRIEL GHESQUIERE, *Prædicator Inſulenſis, ejuſdem ſacræ Facultatis Pariſienſis Baccalaureus ac Licentiæ præſentatus, die Jovis ſecundâ menſis Auguſti, anno Domini* 1753. *ab octavâ matutinâ ad ſextam veſpertinam.*

IN SCHOLIS DOCTORIS ANGELICI.

PRO MAJORE ORDINARIA.

Lille